



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO CHRISTI 1415.  
\* Suedia  
\* Suecia & Poloniae regum, filio marchionis Montisferrati, Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, Rodulpho duci Saxoniae, aliisque ambasiatoribus, praelatis & doctoribus in numero copioso.

SESSIO V.

**D**IE Sabbati sexta mensis Aprilis, anno a natiuitate Domini 1415. indictione octaua, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi deputata, in qua fuit serenissimus Romanorum rex praefatus in veste imperiali cum nobilibus suis ministrantibus sibi in insigniis. In qua sessione inter alios cardinales ibidem existentes praesidebat Concilio dominus Iordanus episcopus Albanensis, cardinalis de Vrsinis. Et cantabatur Missa de Domina nostra per dominum Raynaldum archiepiscopum \* Rauennatem, fueruntque pronuntia- \* Rhemensis. *Qua cantata, ti articuli & constitutiones iuxta ritum aliarum sessionum sequentes per reuerendum legebantur litaniae cum introitu, dominum Andream ele- Exaudinos Domine, &c. & ctum Poznaniensem. collecta pro pace vnionis, ac euangelio \*, & hymno, Veni creator Spiritus, &c. praesentibus ibidem dominis, Angelo Laudensi, Antonio Aquileiensi, Guilielmo sancti Marci, Antonio de \* Salancho, Almanno Pisano, presbyteris; Amadeo Salutarum, & Francisco Florentino, diaconis cardinalibus: absentibus vero Ioanne Vinariensi, Petro Cameracensi, Francisco Venetiaram, & Ludouico de Flisco, cardinalibus, licet in dicta ciuitate praesentibus, ut publice ferebatur. Dictoque officio Missae, litanis cantatis & dictis, surrexit de mandato totius sanctae Synodi reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanien- sis, & certa capitula per modum constitutionum synodalium, prius per singulas quatuor nationes conclusa & deliberata, legit & publicauit: quorum tenores sequuntur, & sunt tales.*

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Hac sancta Synodus Constantiensis generale Conci- <sup>Sup. sess. 4.</sup>  
lium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & vnione & reformatione ecclesiae Dei in capite & in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius vnionem & reformationem ecclesiae Dei, ordinat, dif-



finit, decernit, & declarat, vt sequitur.

*Sup. sess. 4.* Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, & ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ ecclesiæ in capite & in membris.

Item declarat, quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiam si papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi & cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.

Item diffinit & ordinat dicta sancta Synodus, quod dominus Ioannes papa XXIII. Romanam curiam, & officia publica illius, vel illorum officarios de hac ciuitate Constantiensi non mutet ad alium locum, seu transferat, seu personas dictorum officiariorum ad sequendum eum directe vel indirecte cogat, sine deliberatione & consensu ipsius sanctæ Synodi. Et si contrarium fecisset, aut faceret in futurum, aut aliquos processus, seu mandata contra dictos officarios, aut alios quoscumque huic sacro Concilio adhærentes, etiam censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas quascumque continentes, vt ipsum sequantur, fulminasset, fulminaret, seu fulminauerit, totum id sit irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris & pœnis, tamquam irritis & inanibus, quomodolibet obediendum fore: quinimo dicti officarii in dicta ciuitate Constantiensi suis officiis vtantur, & illa exercent libere vt prius, quam diu ipsa sancta Synodus in eadem ciuitate celebrabitur.

*Sup. sess. 4.* Item, ordinat & diffinit, quod omnes & singulæ translationes prælatorum, nec non priuationes eorumdem, aut aliorum beneficiariorum, officialium, administratorum, quarumcumque commendarum & donationum reuocationes, monitiones, censuræ ecclesiasticæ, processus, sententiæ, & quæcumque acta, gesta, gerenda, agenda & fienda per præfatum dominum Ioannem papam, aut



ANNO  
CHRISTI  
1449

suos officarios & commissarios, in læsionem dicti Concilii, seu adhærentium eidem, a tempore inchoationis eiusdem Concilii, & contra adhærentes huic sacro Concilio, vel existentes in eodem, aut in ipsorum seu alicuius eorundem præiudicium, quomodolibet ipsis inuitis facta vel fienda, factæ vel facti, faciendæ vel faciendi, auctoritate huius sacri Concilii ipso facto sint nulla, cassa, irrita & inania, cassa, irrita & inanes, ac nullius roboris vel momenti, ex eadem auctoritate cassat, irritat & annullat.

Item declarat, quod dominus Ioannes papa & omnes prælati, & alii ad hoc generale Concilium vocati, & alii in eodem Concilio existentes, in plenaria libertate fuerunt & existunt, vt visum est dicto sacro Concilio, nec ad notitiam dictorum vocatorum, seu dicti Concilii contrarium deductum est: & hoc testificatur dictum sacrum Concilium coram Deo & hominibus.

*Item declarat, decernit, statuit & diffinit dicta sancta Synodus, quod dictus dominus noster papa renuntiare tenetur, nedum in quocumque casu in schedula oblationis suæ comprehenso, sed etiam in quocumque, in quo sua renuntiatio asserere potest magnam & euidentem utilitatem ad bonum vniõnis ecclesiæ Dei: quodque super hoc dictus dominus noster papa declarationi & diffinitioni huius sacri Concilii stare tenetur.*

*Item statuit, diffinit, decernit, declarat & deliberat dicta sancta Synodus, quod si dictus dominus noster requisitus pro bono vniõnis per hoc sacrum Concilium, papatui renuntiare contempserit, vel plus debito distulerit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, pro abiecto a papatu omnibus Christi fidelibus habeatur, & omnis obedientia eidem sit subtracta.*

*Item statuit, diffinit & decernit dicta sancta Synodus, quod recessus dicti domini nostri papæ a ciuitate Constantiensi clandestine factus, fuit illicitus, bonoque vniõnis ecclesiæ Dei præiudicialis & nociuus. Quodque dictus dominus noster papa requirendus est ex parte dicti sacri Concilii, quod ad illud reuertatur, facturus & adimpleturus quod promisit, vouit & iurauit pro vniõne danda ecclesiæ Dei: & cum intimatione, quod si infra terminum sibi ex parte dicti sacri Concilii præfigendum, ad ipsum Concilium redire contempserit, aut plus debito distulerit, contra eum tamquam factorem schismatis & suspectum de hæresi procedetur, vt requirunt sacra & canonica sanctiones.*



Item statuit, diffinit, decernit & declarat dicta sancta Synodus, quod si dictus dominus noster papa ad ipsum sacrum generale Concilium redire voluerit, & quæ promisit, vouit & iurauit, efficaciter iuxta deliberationem dicti sacri Concilii pro dicta vniõne adimplere, eidem prouideatur de bona securitate, quod nec ante renuntiationem, nec post capietur aut incarcerabitur, nec alias in persona vel bonis molestabitur. Quinimo in plena securitate & libertate tenebitur & tuebitur per dominum regem Romanorum serenissimum, & etiam per dictum generale Concilium. Et ulterius de bono statu eidem domino nostro, & suis familiaribus post dictam renuntiationem habendo, ad arbitrium quatuor per eum, & aliorum quatuor per dictum sacrum Concilium eligendorum, prouideatur. Quibus peractis, supradictus reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanienfis, in materia fidei & super materia Ioannis Hus legebat quædam auisamenta, quæ sequuntur, & sunt talia.

Primo, quod iuxta determinationem doctorum sacre theologie & iuris canonici confirmatur & approbatur sententia lata in Concilio Romano de damnatione & doctrina Ioannis Vuicleff, etiam per combustionem librorum eiusdem.

Item, quod in eadem sessione committatur materia fidei per hoc sacrum Concilium cum plena auctoritate, quo ad doctrinam ipsius Ioannis Vuicleff, nec non Ioannis Hus & suorum sequacium, reuerendissimis patribus dominis Cameracensi & sancti Marci cardinalibus, nec non dominis episcopo Dolensi & abbati Cistercii, qui etiam assumptis doctoribus theologie & iuris canonici, videant super materia Ioannis Hus, \* hic propter errorem ipsius Ioannis Vuicleff; quibus etiam assignetur regimen processus causæ per commissarios contra eundem Ioannem Hus facti.

Item, quod iidem domini commissarii videant de modo procedendi super condemnatione articulorum quadragintaquinque in specie, in Parisiensi & Pragensi vniuersitatibus condemnatorum super materia Ioannis Vuicleff.

Item, quod scribantur literæ missuæ regibus, principibus, ducibus, comitibus, vniuersitatibus studiorum per mundum, ex parte huius sacri Concilii de recessu papæ, & aliis circa præmissa occurrentibus; & quod quatuor prælati ex quatuor nationibus deputandi auctoritate eiusdem Concilii, dictas missiuas suis sigillis una cum sigillo serenissimi principis regis Romanorum sigillent & corroborent. Super quibus Concilium respondebat: Placet.

Item, & subsequenter idem dominus Andreas electus per simile auisa-



ANNO  
CHRISTI  
1415.

ausamentum verbale proposuit, & per modum consultationis, quod necessarium esset, quod Concilium supplicaret domino regi Romanorum hic presenti, super reductione domini Ioannis papæ XXIII. ad ciuitatem Constantiensem, præsentem requirendo eum, quod adimpleret promissa facta ecclesiæ, & Concilio Constantiensi, cum honore ipsius papæ, & in libertate eius. Responsumque fuit, Placet, per Concilium.

Ad hoc enim respondendo surrexit rex Romanorum, proferendo & dicendo, quod scit, quod dictus dominus Ioannes papa est in oppido Louffemburg Basileensis diœcesis, & in manibus Friderici ducis Austriæ. Nescit si supplicaret sibi, quod reuerteretur, an vellet redire ad Concilium & ciuitatem Constantiensem: etiam si libenter vellet redire, an posset: quia forsan eum dux non vellet dimittere de manibus suis. Sed quidquid sit de hoc, idem dominus rex Romanorum obtulit se ad omnia mandata & præcepta Concilii, & in casu quo ipsi Concilio placeret, sibi papæ scribere, & eum rogare ut rediret, & dirigere saluum conductum iuxta deliberationem Concilii pro ipso papa & omnibus secum redire volentibus, & ante & post, dummodo redire vellet, & adimplere promissa. Etiam in casu, quo Concilium velit, obtulit se idem dominus rex paratum, quod vellet ire, & dare omnem operam ad reducendum ipsum papam, etiam ipso duce volente, vel nolente. Responsum fuit communiter per Concilium: Placet. Idem etiam dominus rex proposuit, qualiter misit exercitum suum gentes armorum contra ducem Austriæ versus & contra oppidum Schafhusen, in quo aliqui cardinales & curiales esse dicuntur. Dans in mandatis illustri principi Friderico burgrauio Nurembergensi capitaneo suo, ut mandaret dici dictis cardinalibus in Schafhusa existentibus, ceterisque curialibus, & aliis redire volentibus ad Constantiam ciuitatem, quod nomine ipsius regis dictis dominis cardinalibus & curialibus redire volentibus dare deberet saluum conductum, & eos facere conduci per gentes libere cum eorum personis, familia & rebus, ad ciuitatem Constantiam. Qui dominus Fridericus burgrauis iuxta commissionem misit dictis dominis cardinalibus & curialibus dici verbo, & in scriptis. Et ad ipsorum dominorum cardinalium notitiam deuento, rescripserunt ipsi Friderico burgrauio, quod non vellent saluum conductum suum, nec redire ad ciuitatem Constantiensem, neque etiam sequi dominum Ioannem papam XXIII: sed ire ad urbem Romanam; & similis opinionis essent cardinales, qui essent Constantiæ. Protestans nihilo minus dominus rex, quod sit paratus dare ipsis cardinalibus & papæ, ac

Concil. Tom. 29.

L1



quibuscumque redire volentibus saluum conductum suum iuxta de-  
liberationem & ordinationem Concilii, & eos facere reduci per gen-  
tes suas libere ad præsentem ciuitatem Constantiensem, & nolenti-  
bus id habere, si quæ impressio, ac alii casus fortuiti & euentuales iis  
acciderint, velit esse excusatus. Super quibus omnibus & singulis a  
protonotariis & tabellionibus ibidem præsentibus petiit fieri publi-  
ca instrumenta, præsentibus testibus supradictis.

Ad illud respondendo surrexit reuerendissimus pater dominus  
Franciscus cardinalis Florentinus nomine suo & aliorum domini-  
orum cardinalium ibidem præsentium, dicens, quod domini cardina-  
les qui remanserunt in ciuitate Constantiensi, omnes post recessum  
papæ de Constantia, ipsi existentes in palatio apostolico con-  
cordarunt in hoc: videlicet, quod si dominus noster papa vellet sequi  
viam quam obtulit, videlicet cessionis, ipsi vellent eum sequi &  
fouere prout tenerentur, & eum defendere & tueri in honore suo. Et  
in casu quo declinaret ab ea via, & non adimpleret promissa, vel-  
lent ab eo desistere, & remanere cum Concilio: & vsque huc non fuit  
ipsis visum iuxta eius scripta & dicta, quod declinaret in contra-  
riam viam. propterea saluassent honorem suum de hoc, quod cardina-  
les (vt dicitur & refertur) scripserunt, & dicunt de Schafhusa,  
quod non velint venire, neque sequi papam, sed ire Romam. Et quod  
eiusdem intentionis cardinales Constantiæ existentes existant, nihil  
constat sibi, neque aliis dominis cardinalibus Constantiæ existen-  
tibus, mirando satis, unde huiusmodi relata procedant.

Vltimo fuit per eundem dominum Andream electum Poznanien-  
sem propositum, quod in vltima sessione fuit conclusum & delibera-  
tum, quod nullus recederet, aut recedere deberet de Concilio non obtenta  
licentia, licet compertum sit contrarium, & quod aliqui recedunt  
in habitu dissimulato, & tunc fuisset petitum, licet non conclusum,  
quod executio contra tales ita recedentes deberet fieri per dominum  
regem, & pena infligi, iuxta deliberationem præsentis Concilio:  
fuit per ipsum Andream propositum & dictum, si adhuc placet illis,  
respondeat Concilium, Placet. fuitq; responsum per Concilium: Placet.

Super omnibus his per modum auisamenti propositis, & alia  
per modum supplicationum, &c. dictis & conclusis, hinc inde præ-  
fatus magister Henricus de Piro promotor huius Concilii, nomine &  
vt procurator nationis Germanicæ, petiit per reuerendos patres do-  
minos sedis apostolicæ protonotarios & tabelliones quoscumque v-  
num & plura super his publicum & publica, instrumentum & in-  
strumenta, ad perpetuam rei memoriam.



ANNO  
CHRISTI  
1415

Quibus articulis, siue constitutionibus lectis, dictum Concilium eos & eas vniformiter approbavit & conclusit. Super quibus Henricus de Piro promotor & procurator ipsius Concilii, nomine eiusdem Concilii petit instrumentum.

SESSIO VI.

\* f. Gnef-  
nen.

**D**IE Mercurii decima septima mensis Aprilis supradicti, fuit sessio generalis in cathedrali ecclesia Constantiensi supradicta celebrata: in qua primo, iuxta morem & ritum aliarum sessionum, fuit celebratum officium de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum \* Gueznensem, & cantatae litaniae ac orationes more aliarum sessionum, cum euangelio: *Ego sum pastor bonus*. In qua sessione fuit rex \* Romanorum in insigniis regali-  
bus, cui assistebant domini Iordanus de Vrfinis, & Angelus Laudensis, episcopi cardinales. Et eidem sessioni praesidebat pro tunc reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, vicecancellarius, cardinalis Viuariensis. Et ascenderunt ambonem, in quo publicari solent constitutiones, & alia auisamenta in Concilio, reuerendi patres episcopus Atrebatensis pro natione Gallica, archiepiscopus Rigenis pro natione Germanica, Lichfeldensis episcopus pro natione Anglicana, & abbas Florentinus pro natione Italica. Et de mandato Concilii fuerunt pronuntiatii articuli sequentes per dictum dominum Atrebatensem.

\* Romanorum in suis insigniis imperialibus, cum suis nobilibus: & eidem sessioni praesidebat dominus Ioannes episcopus Ostiensis, cardinalis Viuariensis, praesentibus octo aliis cardinalibus.

Qua Missa finita, ac hymno, *Veni creator Spiritus*, & euangelio, *Ego sum pastor bonus*, &c.

solenniter finitis, ascendebat ambonem, in quo legi & publicari solent articuli & constitutiones & alia auisamenta proponenda in Concilio, episcopus Atrebatensis pro natione Gallicana, archiepiscopus Gueznensis pro natione Germanica, Thomas Polcon sedis apostolicae protonotarius pro natione Angliae, & abbas Florentinus pro natione Italiae: & de mandato sanctae Synodi episcopus Atrebatensis legit & pronuntiauit articulos alias per quatuor nationes deliberatos, huiusmodi sub tenore.

Concil. Tom. 29.

Ll ij